

677

P A T R I S T I C I.

678

to, minioque vario, Sec. ut puto, XIV. inscripta sunt ad modum *Necrologii Nomina Plebanorum mortuorum* Parochiae *Chotikow* Archidiaconatus *Plznensis*, ut in *Miscell. Balbini Dec. I. L. V. p. 30.* reperio, dein *Nomina Vicariorum*, tum *Patronorum* et demum *Laicorum mortuorum* cum Uxoribus.

CCXVII. VII. 2. 16

254

Codex membraneus lat. Sec. faltem XII. Folior. 100. f. luculente scriptus et rubricis enotatus *Dionysio Areopagitae* supposita continet Opera, quae Doctorum consensu ad Seculum IV. vel V. referuntur, quanquam de Autore nihil certi haecenus statui possit. Habentur vero hic ex versione *Jobannis*, quem Codex *Jerugenam*, alii *Erigenam*, *Juernigenam*, *Erjugenam*, *Heruligenam*, *Scotum* seu *Scotigenam* appellant, de quo vide, quae congeffit *Fabricius Bibl. med. et inf.*

Lat. L. 9. et Lambecius L. VIII. p. 183. edit. Kollar. col. 385. Mihi, quidquid id sit corruptionis, ex antiquo *Hiberniae* nomine *Erin* vel *Jerne* prognatum videtur, neque obtare *Scoti* appellationem, cum pluribus exemplis doceri possit, harum duarum Insularum Scriptores olim non raro confusos fuisse. Versionem porro hanc suam appulsus in *Galiam* *Jobannes Carolo Calvo* Imp. intra an. 840 — 77. inscripsit, reduxque in *Angliam*, scholae *Malmesburiensis* rector, idem cum *D. Cassiano* fatum expertus dicitur, a discipulis anno 883. vel, ut alii 84. aut 86. graphiis confossus. Extat haec Versio, quod non observarunt *Lambecius* et *Kollarius*, pluries prelo subdita, puta *Argentinae* 1502. f. *Coloniae* cum elucidatione *Dionysii Carth.* 1556. f. cui meliores aliae successere, ut notum. — Sed ad *Codicem*. Initium facit: *Argumentum in ierarchyam dionysii.*

Prima ierarchia patet hac in theoloya.

Prima uel eximia. tres una sunt in usya.

Altera theotenus. tria terna uel ordo nouenus.

Tertia sacratu. hominum chorus atque senatus.

Prima regens alias per sacras theophanias.

Hanc prius in primos. medios disponit et imos.

Hanc post hos primis. mediis coniungit et imis.

Sed loca cunctorum discernit fors meritorum.

Abfunt haec ab impressis, uti et subjectum Distichon:

Altius iste chorus transcendens theologorum.

Summa ierarchie. scripsit secreta sophie.

Sequitur Prooemium elegiacum ad *Carolus*, non *Magnum*, ut in Praefationis *Anastasi Biblioth.* margine in edit. *Colon.* p. 5. notatur, sed jam dictum *Calvum*, quod incipit:

*Hanc libam sacro grecorum nectare fartam
Aduena iohannes spondo (σπενδω) meo Karolo &c.*

Disticha sunt XII. et extant in magni *Jac. Usserii Veter. Epistolar. Hibernic. Sylloge*, *Dublino* 1632. *Epist.* 22. p. 57. uti in edit. *Argent. cit.* sed ibi perperam adjuncta sunt alia, quae paulo inferius locanda sunt, ut apparebit. Priora illa nobis et *Usserio* exacte conveniunt, sed in edit. *Argent. stemmata* pro fortia, technas pro termas, et *Ussibus* pro *Veribus* reponendum est. Sequitur in nostro Codice: *Gloriosissimo catholicorum Regum Karolo Iohannes extremus Sophie studentium salutem.* Deest haec Dicitio in edit. *Colon.* sed adest in *Argent.* et apud *Usserium Epist.* 23. assignato in margine scriptio- nis anno 858. quem unde norit Vir doctissimus, nescio. Initium habet: *Valde quidem ammiranda dignisque uirtutum laudibus est*

exaggeranda catholicorum uirorum religiosissima sollicitudo &c. Finem: per excellentiam essentiae recurrere. Inscriptio Librorum iniata haec est: *Incipiunt libri sancti Dionisii ariopagite. Quos iohannes ierugena transtulit de greco in latinum iubente ac postulante rege Karolo Ludwici (Pii) imperatoris filio. Incipiunt capitula libri primi. Post eorum elenchum: Liber sancti dionisii ariopagite episcopi athenarum. ad timotheum episcopum ephesorum. Epigramma in beatum dionisium de celesti ierarchia. Hujus tenoris: Angelice sapientie fulgores multos proiecisti hominibus. manifestasti uidere animo compositam pulcritudinem. Tum succedunt XII. illa in edit. *Argent.* praecepta Disticha: *Compresbitero timotheo dionisius presbiter de celesti ierarchia.**

*Lumine sydereo Dionisius auxit athenas.
Ariopagites. magnificusque sophos. &c.*

quae *Usserius* paene legit, ut nos, sed a *penultimo* Hexametro, qui totus graecus est, ob Exempli sui corruptionem abstinere debuit.

Est ille et in nostro codice literis latinis mire deformatus, sed, si quid extundo, fortasse sic restituendus:

Ἀρχῶν Ἀρχαγγελῶν τευχῶν Ἀγγελῶν τ' ἔτελ' αὐτῶν.

Post sex enim Angelorum ordines prius enumeratos tres hi restabant, unde et sequitur:

Mentibus Uraniis tertia taxis inest.

Errata in edit. *Argent.* ex Cod. nostro et *Ufferio* sic emendo: *Noſter* 1. *auxit.* *Ut conuerſus* 1. et *conuerſus.* *Duce* 1. *luce.* *Summatus* 1. *Symmachus.* *Suspicit ad* 1. *Suspicit ac.* *Axiramis* 1. *Uraniis.* *tibi trino lumine* 1. *terno ter limite.* Verſus denique graecus ille prorsus in ea omiſſus eſt. Tum demum incipit *Liber de coeleſti Hierarchia.* *Omne datum optimum, et omne donum perfectum &c.* Ultima ſunt: *ſecretum ſilencio honorificantes.* *Amen.* Et: *Explicit liber de celeſti ierarchia.* *Angelicarum deſcriptionum inluminaciones defudiſti hominibus. reuelaſti uide re animo compoſitum aſtrum.*

Fol. 23. p. 2. ſequitur *Liber de eccleſiaſtica Hierarchia* inſcriptus: *Epigramma in beatum dioniſum de eccleſiaſtica ierarchia.* *Symbola diuinorum mirabilium ſacrorum uniformi fabula.* *In ſingularitatem recipiens unius luminis unam claritatem.* Index Capitum. Opus ipſum: *Quia quidem ſecundum nos ierarchia puerorum diuinorum &c.* Finis: *diuini ignis aſcendes uſque uapores.* *Explicit liber de eccleſiaſtica ierarchia.*

Fol. 50. p. 2. *Epigramma in beatum dioniſum de diuinis nominibus.* *In animum ſplendor in diuinas ſcripturas mille tingens formas.* *Uarietatibus ſacra nomina et poſt ſtultam mortem uitalibus ſapientiae eloquiis ſonantibus diuinos*

manifeſtatorios ymnos. Index Capitum. Initium Libri: *Nunc autem o beate poſt theologicos characteres &c.* Finis: *quoniam ſymbolicam theologiam duce deo tranſcendemus.* *Explicit liber de diuinis nominibus.*

Fol. 87. p. 2. *Epigramma in beatum dioniſum de myſtica theologia.* *Nouam claritatem in reliqua et ſcientiam ſufficientium.* *Noctem per diuinam quam non iuſtum licet nominare.* Index hic Epigrammati praemiſſus. Libri principium: *Compresbitero timotheo Dioniſius presbiter.* *Trinitas ſupereſſencialis et ſuper deus et ſuper optime chriſtianorum theophiae inſpector &c.* Finis: *omnium ſimpliciter perfectio et ſummitas omnium.* *Explicit liber de myſtica theologia.*

Fol. 90. Incipiunt *epiſtole diuerſe ſancti dioniſii.* Sunt numero tantum X. Ab eſt enim ultima ad *Apollophanem Philoſophum,* quae hodie graece non amplius extat; extabat autem aevo Interpretis noſtri, ut ex edit. *Argent.* patet. Ordo *Epistoliarum,* ut in editis, ita docet Index praemiſſus. *Prima Gaii Monacho* incipit: *Tenebrae quidem obſcurae ſunt lumine &c.* Ultima *Jobanni theologo* finit: *et hiſ qui tecum ſunt trades.* Ad Codicis calcem, tanquam deus ex machina, ſequens compareret carmen eadem, qua Codex,

683

C O D I C E S

684

dex, manu scriptum, olimque, I. *Opp. Bedae* edit. *Colon.* 1688.
sed minus castigate impressum T. f. col. 449.

*Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc seruis heu male Roma ruis.*

Deseruere tui tanto te tempore reges,

Cessit et ad grecos nomen honosque tuus.

Constantinopolis florens noua Roma uocatur.

Moribus et muris Roma uetusta cadis.

Transiit imperium, mansitque superbia tecum,

Cultus auaricie te nimium superat.

Vulgus ab extremis distractum partibus orbis;

Seruorum serui nunc tibi sunt domini.

In te nobilium rectorum nemo remansit,

Ingenuique tui rura pelasga colunt.

Truncasti uiuos crudeli uulnere Sanctos,

Vendere nunc horum mortua membra soles.

Jam ni te meritum Petri Paulique foueret,

Tempore iam longo Roma misella fores.

Duo, quae moneam, supersunt. Primo: obscurissima illa *Epigrammata* supra allata videri fuisse in Codice graeco, quo *Johannes* interpres usus est, singulis Libris instar *Summariorum* praefixa, atque ab eo, prout poterat, latine simul reddita. Secundo: ad emendandam *Johannis* Versionem, ut impressa legitur, *Codicem* nostrum maxime utilem fore, nisi eam supervacaneam fecissent cum aliae recentiores, tum maxime *Corderiana* interpretatio, e cujus Viri editione *Antwerp.* 1634. T. II. f. ita *Pseudodionysium* habemus, ut, teste *Oudino* T. I. col. 1371. in posterum inutilem prorsus laborem susciperet, qui argumentum idem aggrediretur.

CCXVIII. IX. 7. 20.

Codex membraneus lat. Sec. 626 XIV. Folior. 97. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas sat nitide exaratus et rubricis distinctus, olim *Job. Sambuci* continet. I. *Dionysio Areopagitae* subposita Opera latine reddita a *Job.* dicto *Scoto Erigena* dicataque *Carolo Calvo* Imp. ut habes *Cod.* praeced. quo eadem retulimus. Initium in praesenti ducitur a *Praefatione* ad *Carolum* profaica illa, quam *Jac. Usserius* p. 41. *Sylloges Vet. Epistolar. Hibern.* vulgavit. Praeunt vero et *Carmina* ab eodem p. 40. edita, ita tamen extrita, ut e solis paene literis initiorum agnoscantur. *Praefationem* excipiunt 12. *Disticha*, quae incipiunt: *Lumine sidereo* &c.